

Joachim Lütke­mann   Johannes Corfinius

## **Iudicii Metaphysici Minores Disputatio Secunda De Primo Principio Et Cognito Primo**

Rostochii: Reusnerus, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729597458>

Druck   Freier  Zugang



RU phil 1638  
Joachim Lütkenmann  
Johannes Confinius



b 21

JUDICII METAPHYSICI  
MINORIS  
DISPUTATIO SECUNDA,  
DE  
PRIMO PRINCIPIO  
ET  
COGNITO PRIMO

Affistente cœlesti Numine,

*"Amplissimâ Facultate Philosophicâ consentiente,"*

In inclytâ Academiâ Rostochiensî

*placido Examini subjecta*

PRÆSIDE

M. JOACHIMO LUTKEMANNO,

Demminensî Pomerano,

RESPONDENTE

JOHANNE CORFINIO

ROSTOCHIENSÎ.

*In Collegio Unicornis Die 28. Februarij*

*Horis Pomeridianis.*



ROSTOCHII,

Literis JOHANNIS REUSNERI,

Anno M. DC. XXXVIII.

1688



DE PRIMO PRINCIPIO ET COGNI-  
TO PRIMO.

5. I.

**M**etaphysica cum sit scientia, ad sui subjecti ceterarūq;  
rerum quas tractat demonstrationem, habebit prin-  
cipia. Hæc qualia sint, nunc inquirimus. De prin-  
cipijs autem Entis cum disputamus, ea intelligimus,  
quæ Enti, ut Creatori & Creaturæ & omnibus Inferioribus com-  
mune est, conveniunt. Hinc fundamenti loco fit nobis hæc re-  
gula: *Quæcūq; principia in Deo & Creaturis reperiuntur, etiam*  
*Enti, ut commune est Deo & Creaturis, conveniunt.* Et contra; *Quæ-*  
*cūq; uni repugnant, repugnant quoq; Enti in ista generalitate sumto.*  
Posterius membrum, confirmatur; quia quod speciei repugnat,  
repugnat etiam generi. Equidem quæ speciei repugnant, non  
statim repugnant generi simpliciter; repugnant tamen generi  
in sua generalitate sumto. Risibilitas repugnat Asino, non re-  
pugnat Animali simpliciter; aliàs nullum animal risibile: re-  
pugnat tamen animali in sua generalitate sumto, aliàs omne  
animal esset risibile. Quæ enim generi in sua generalitate, ut  
commune est inferioribus, conveniunt, (modò servetur suppo-  
sitiō personalis & descensus distributivus) omnibus quoq; infe-  
rioribus conveniunt. Membrum prius statuinamus inde, quod  
quæ singulis & omnibus speciebus simul sumtis conveniunt,  
etiam generi conveniunt, in suppositione personali & descensu  
disiunctivo: quamvis in descensu copulativo & suppositione  
simplici aliquandò generi non conveniat, quod convenit spe-  
ciebus singulis. Ut: cum singulæ Entis species sunt Entia deter-  
minata, non tamen Ens in communi determinatum erit; & cum  
singula accidentium genera genere constant, non tamen ge-  
nere constat accidens in genere. Paucis: *Quæcūq; singulis & omni-*  
*bus inferioribus simul sumtis conveniunt, etiam superiori, in utraq; suppo-*  
*sitione conveniunt;* Exempl. gr. Singuli homines seorsim existunt.  
existit autem ira minimè species superior, homo, in suppositione  
simplici: contra, omnes homines simul sumti constituunt multi-  
tudinem, non autem propterea multus redditur omnis homo in

A 2

suppo-

suppositione personali. Homines singuli & omnes simul sumti sunt rationales, ergo & rationalitas competit homini in genere, in suppositione utraq̃ue. Sit itaq; firmum: *Quicquid Entibus omnibus & singulis convenit, convenit etiam Enti in generi.* Omnibus inquam & singulis: ex defectu hujus conditionis, si maximè probatum esset omnes Entis species constare genere & differentiâ, nondum tamen evictum foret id competere Enti in sua generalitate: quia id non competit omnibus & singulis, omnibus simul sumtis.

§. 2. Hoc fundamento posito, ipsam rem distinctè explicamus. Loquendo itaq; 1. De principijs essendi extrinsecis, causa efficiente & finali; res certa est. Illa enim Ens ut Ens non admittit. Neq; enim Deus admittit efficientem; esset enim dependens ab alio priori; qui rursus si Ens omne ab efficiente penderet, ab alio penderet, & hic rursus ab alio, & sic in infinitum; adeoq; nullus omninò esset Deus. Imò omnes omninò essentia, quia æternæ efficiente carent. Neq; admittit finalem: tum quod Deus finis ultimus sit omnium, non ipse ob finem alium: tum quod finis nobilior rebus quæ tendunt ad finem. Nec agnoscit principium ideale seu exemplare. Sunt quidem in Deo ideæ & exemplaria rerum, juxta quæ factum est hoc universum, quæ ob id universalialia vocantur in causando; Concipit quoq; Deus intelligendo seipsum: dubito tamen an intellectus Dei, quo seipsum intelligit, ideæ dici debeat, cum Deus non intelligat per ideæ sed intuitivè; ideale autem principium Dei vocandum esse nunquam concedo.

§. 3. Loquendo 2. De essendi principijs intrinsecis, rursus certum est, *Enti quatenus præscindit ab actu & potentia, creatore & creaturâ*, Illa non competere; neq; ipsi competunt principia Physica, materia & forma; nec quæ dicuntur Metaphysica, genus & differentia. De *Ente actuali* disputant, *an non actus & potentia, essentia & existentia sint ejus principia.* Quod si maximè concedatur de creaturis, vix tamen de Deo, de Ente simpliciter nullo modo. Nam agendo de Ente simpliciter si essentia existentia, potentia, actus sunt principia Entis, & hæc rursus ipsa sunt Entia; Essentia constabit ex aliquo principio; essentia, hæc rursus

rursus ex essentia & sic in infinitum procedendo, essentia semper sui ipsius principium erit. Entis autem actualis ut commune est Deo & creaturis, principia constituunt actum, essentiam, existentiam: inde quod, hæc in Deo & creaturis reperiuntur: quod quidem alij terminis congruè explicatis, concedunt, maximè de essentia & existentia: sed hæc in Deo principia esse negant, inde quod hæc in Deo non differant realiter, adeoq; non sint partes constituentes totum actuale. Reponunt alij: ad tuendam rationem principij, sufficere distinctionem virtuales, & rationis; nec non quod in aliquo genere Entis realiter differant. Nos hanc litem non facimus nostram, nam tantum de nomine est. Descendendo ad *Entia creata*, habent illa principia tam externa, Deum, quam interna Metaphysica, genus & differentiam.

§. 4. Loquendo 3. De principijs cognoscendi, illa Ens ut Ens habet, tam complexa, quam incomplexa. Incomplexa sunt effectus & signa à posteriori; rationes item à priori, ut sunt proprietates antea demonstratæ quatenus ad rei cognitionem conferunt. Vocantur causæ virtuales. Sic Deus ex effectu cognoscitur & attributum divinum unum ex altero, ex independentia simplicitas, ex simplicitate æternitas, ex æternitate infinitas. Principia complexa sunt omnia axiomata universalis, quibus ad declarandam rem utimur; sic ex illo: Omne totum majus sua parte, probatur in Deo non esse partem, quia daretur aliàs in Deo aliquid, quod minus esset ipso. *Obj.* Principium Entis aut Ens est aut non Ens. Si Ens, non potest esse principium Entis, quia nihil principium sui ipsius: si non Ens, rursus non potest esse principium Entis. *Resp.* Singularia in quantum ducunt ad cognitionem sui universalis, principium sunt universalis; adeoq; in quantum continentur sub suo universalis, sunt principium sui ipsius. Ita non absurdum est, dicere aliquod Ens, in quantum facit ad cognitionem Entis in communi, esse principium sui ipsius, in quantum continentur sub Ente in communi.

§. 5. Principia Metaphysica complexa, quod Metaphysica sapientia est, debent esse prima, generalissima, non aliunde mutuata: sed cum aliquo differentie gradu, unum enim omnium

A ;

est ge



est generalissimum, cætera sunt minus generalia. **Quæritur;**  
*Quodnam sit primum & omnium generalissimum principium.* Respond.  
 primi principij condiciones quatuor sunt. 1. ut à nemine possit  
 in dubium vocari. 2. ut possit esse medium demonstrationis:  
 adhibetur enim ad demonstranda alia; ut sit generalissimum,  
 per quod probari possint omnia reliqua principia. Dicuntur  
 quidem præter id quod primum est, principia alia indemon-  
 strabilia, sed hoc sensu quod in scientia particulari non probentur  
 sed probata supponantur, vel quod non demonstrantur  
 ostensivè; cum interim sint demonstrabilia per deductionem ad  
 incommodum. 4. ut ab alio priori non demonstretur. Ex defectu  
 conditionis secundæ primum principium non dicendum est:  
*Ens est id, quod est. Seu omne Ens est Ens.* Identica enim cum sit & ali-  
 quo modo nugatoria, non est demonstrativa. Ex defectu con-  
 ditionis quartæ, non gaudet titulo primi principij hæc: *De uno-*  
*quoq; vera est vel affirmatio vel negatio.* Quia affirmatio præsuppo-  
 nit esse; negatio non esse. Ideo enim Cygnus affirmatur albus,  
 quod talis est; corvus negatur, quod talis non est. Igitur hoc:  
*De unoquoq; vera est vel affirmatio vel negatio,* probatur inde, quia  
 unumquodq; est vel non est. De palma prioritatis contendunt  
 hæc duo. *Quodlibet est vel non est:* Et; *impossibile est idem simul esse*  
*& non esse.* Nos palmam porrigimus posteriori, quod modale  
 est: nec aberrasse patebit ex solutione eorum, quæ obijciuntur.  
 1. Affirmatio prior negatione, absolutum modali. Illud autem  
*impossibile est idem simul esse & non esse.* Et modale est & negativum,  
 ut patet in expositione. Exponitur enim ita. Idem non est simul  
 & non est, nec potest simul esse & non esse. 2. Principium hoc  
 aliunde probari potest 1. ostensivè, ita: *Quodecunq; naturæ lu-*  
*mine solo cognoscitur est evidentissimum & certissimum.* Atqui  
 hoc: *impossibile est idem esse & non esse* solo naturæ lumine co-  
 gnoscitur. E. est evidentissimum & certissimum. Secundò per  
 alia absurda, ita: Si possibile est, idem simul posse esse & non  
 esse, fieri quoq; potest 1. ut unaquæq; res possit dici omnia. Pone  
 enim hanc propositionem: *Afinus non est omnia.* Per te ejus  
 contradictoria potest esse vera, quæ dicit *Afinus esse omnia.*  
 Et sic & *Afinus,* & *Equus,* & res quævis alia dum non est omnia,  
 simul

simul est omnia 2. De quacunq; re prædicare quicquid libuerit  
licebit; ita ut quod non est homo, hoc ipso fit homo, quod non  
est corporeum, hoc ipso dicatur corporeum, quia idem potest  
simul esse & non esse. 3. fieri potest, ut hoc ipsum, quod insulsus  
forsan diceret, *idem simul esse & non esse*, verum sit; & simul verum  
illud quod omnis ratione utens dicit; *idem non posse simul esse & non  
esse*. Adeoq; durè hi fortissimè sibi contradicunt, sibi non con-  
tradidunt. Resp. ad 1. Simplex enunciatum & affirmativum, prius  
est negativo, modali & composito, *in esse propositionis, & quoad  
modum enunciandi*; non item *in esse principij, quoad veritatem & vir-  
tutem probandi*. Prioritatem propositionis petas licet, ex affir-  
matione, ex terminis, ex terminorum dispositione: non prio-  
ritatem principij, quæ pendet ex robore probandi. Majus autem  
robur habet, quod majorem in terminis suis ostendit repugnan-  
tiam. Nam cum duo sint Demonstrationis genera, unum offen-  
sivum, alterum per incommodum; hoc posterius intellectus no-  
stri imbecillitati succurrit, qui dum objecta sua intuitive non  
considerat, & veritatem propositionis vel ob nimiam objecti  
claritatem, vel obscuritatem nimiam, per causas à priori ulte-  
rius investigare non potest, ad absurdum confugit, quod ex pro-  
positionis suæ negatione sequitur: & eam propositionem evi-  
dentissimè veram ostendit, cujus negationem aliqua repugnan-  
tia & incommodum sequitur: quoq; majorem ostendit repu-  
gnantiam, hoc majorem suæ propositioni conciliavit eviden-  
tiam, quamvis nullam à priori causam videat. Jam illud modale.  
*Impossibile est idem esse & non esse*, majorem ostendit in terminis  
suis repugnantiam, quam illud absolutum & affirmativum:  
*Quodlibet est vel non est*. Prius enim ostendit repugnantiam inter  
duos terminos contradictorios: alterum tantum oppositionis  
immediationem, seu repugnantiam medij inter duos terminos  
contradictorios. Hæc autem repugnantia non ita clara ac illa,  
cum per priorem probari possit. Sit enim qui dicat dari tertium  
inter esse & non esse, refellendus is erit ex repugnantia ipsorum  
terminorum contradictorios ita: impossibile est idem esse &  
non esse; E. inter esse & non esse non potest dari medium. Confer  
Carolus de Raconis *Met. part. 2. tract. 2. c. 2.* quem potissimum

nos hic sequimur. ad 2. Et quidem in genere, posse illud primum principium quidem nonnullis deductionibus illustrari, sicuti & per inductionem singularium cognoscitur; sed non posse demonstrari vel a priori per causam, vel per aliud, aliquid absurdum prius & generalius. In specie ad argumentum ostensivum, ostendit quidem illud evidentiam istius principij, sed non causam; ostendit principium esse evidens, cum solo naturæ lumine cognoscatur, & hoc ipso confirmat per causam demonstrari non posse. Uti enim cum solem esse lucidum probo inde, quod id vel oculus percipiat; non rem per causam probasse, sed evidentiam propositionis tantum ostendisse dicor: Neque enim ideo sol lucidus est, quod tuus id videat oculus: ita etiam cum *idem non posse simul esse & non esse*, inde probo, quod vel naturæ lumine solo cognoscatur, evidentiam principij ostendo, non causam produco, ob quam sit verum: quia non ideo verum est, quia naturæ lumine cognoscitur, aut quia intellectus tuus id verum esse agnoscit; sed potius intellectus tuus id naturaliter agnoscit verum esse, ideo quod in se verum est & indemonstrabile. Ad incommoda quæ sequuntur negationem primi principij, respondeo: Principium illud primum naturam jam notum & certum, ita ut eo mediante omnium istarum enunciationum absurditas probetur, quæ reliquis contradicunt principijs, ex alio absurdo universaliori probari non potest: Intellectus autem ad rem præsentem ductus, infinita absurda in rebus particularibus deprehendit, ex quorum inductione firmissimum esse illud declarat, quod vel naturæ lumine solo jam ante cognoverat. Imò si verum fateri velis, absurditates istæ supra positæ ex principij primi negatione non sequuntur. Neque enim qui negat; impossibile esse ut idem simul sit & non sit; statim asserit, omne idem simul esse & non esse, ita ut tibi liceat descendere ad particularia quævis; sed contradictoriam defendit, possibile esse ut quoddam idem sit & non sit. Ex dictis uti promisi tibi colligere licet rationem cur isti modali: *Impossibile esse & non esse*, prioritatis palmam porrexerimus; alteri vero: *Quodlibet est vel non est*, denegaverimus. Quia scilicet illud vim majorem habet probandi, dum ostendit repugnantiam inter duos terminos contradictorios;

dictorios; alterum autem tantum dicit immediationem inter terminos contradictorios, adeoque per prius probari potest. Quod insuper patet ex fine & conclusione deductionis ad absurdum, quæ semper consistit in his terminis contradictorijs, idem esse & non esse.

§. 6. Omnium itaq; Primum principium est: *Impossibile est idem simul esse & non esse*: Est enim 1. notissimum, ut λόγῳ ἕσῳ à nemine negari possit. Scotus jubet eum qui hoc negat fustibus cædi tandiu, donec fateatur, non posse fieri ut idem simul cædatur & non cædatur. Sanè sine vel risu vel commiseratione audiri non potest ista Judæorum superstitione, de qua Buxtorfius in Synagoga Judaica ex Talmundo scribit: si duo Rabbini inter se contendant, & sermones contradicentes proferant, credendum esse, utramq; sententiam esse Dei viventis. 2. Est generalissimum probandi medium. Omnia alia absurda in hoc abeunt & resolvuntur. Exemplum hujus resolutionis observatur apud Ciceronem l. 1. Tuscul. qq. disputantem contra Atticum Epicuræum. Asserebat hic animam humanam interire; & rursus, mortuos esse miseros: Confunditur à Tullio ita: *Quem esse negas, eundem esse dicis: ubi est acumen tuum? Cùm enim miserum dicis, tunc eum, qui non sit esse dicis*. Plura ut omnis Philosophia, sic egregium hæc ipsa de principijs tractatio suppeditat. Sit qui dicat Ens ut Ens habere principium essendi, idq; esse ipsum Deum. Confundetur ita: Quicquid Enti quatenus Ens est competit, id omni Enti competit. Ideoq;

*Omne Ens per te est causatum à Deo.*

*Ens independens est Eus. E.*

*Ens independens est causatum à Deo.*

Quod absurdum esse ex duplici contradictione ostenditur. I. Ens independens simul est & non est. Est quia se ipsum efficit; non est, quia à seipso est efficiendum. II. Est independens & non est, Est independens ut ipse asseris, & non est independens, quia à seipso causatum. 3. Est evidentissimum & indemonstrabile, ut supra ostendimus.

§. 7. Avocat nos objectum Metaphysicum ad interiorem sui contemplationem. In vestibulo autem placet aliquantulum

B

immo-

immorari nobili controversiæ de primo cognito : *An Ens sit  
primo cognitum.* Cognito enim quid sit primum cognitum in  
numero complexorum, non inconvenienter porro inquiritur,  
quid sit cognitum primum in ordine incomplexorum & sim-  
plicium: An sc. Ens ut conceptus est omnium generalissimus,  
ita etiã in cognitione simplicissimus & primus. Loquimur autè  
de cognitione intellectus compositi, qui per abstractionem &  
compositionem intelligit, qualis est humanus. *Quæstio hæc si  
unquam alia valde intricata est; distinctis tamen conclusionibus  
eluctabimur, explicatis prius qui in hac controversia occurrunt  
terminis. 1. Cognitio vel est rei prout est quid definibile, vel  
prout est universale contentivum multorum. Illa vocatur  
actualis hæc virtualis vel potentialis. 2. Utraque est vel  
distincta vel confusa. Confusa est obscura & generalis ap-  
prehensio rei, sine claro & distincto conceptu partium: Distincta  
contra est clarus partium in toto intuitus. Cognitio itaq; actualis  
confusa est totius definibilis, sine claro intuitu partium definien-  
tium: Cognitio actualis distincta est clara definitionis cognitio.  
Cognitio virtualis confusa est cognitio totius universalis con-  
tentivi inferiorum, non clarè intuendo differentias distinguen-  
tes & constituentes inferiora. Cognitio virtualis distincta est  
cognitio totius universalis contentivi multorum, penetrando  
differentias quibus contenta distinguuntur & constituuntur. Ita  
Ancilla quævis hominem cognitione actuali confusa novit,  
distincta non cognoscit: naturam animalis ut aliquid commu-  
ne multis cognitione virtuali confusã novit, distinctã ignorat.  
3. Omnis cognitio est vel originalis vel habitualis. Originalis  
est prima apprehensio rei antea nondum cognitã; habitualis  
est cognitio rei jam antea cognitã, ex habitu jam pridem ac-  
quisito. Originalis cognitionis in cognitione distincta via du-  
plex inquisitiva, quam calcat Philosophus primum venando  
naturas rerum; & Auscultativa, quam observat Doctor in pro-  
paganda cognitione inventã. Disputatio tota est de cognitione  
Actuali, quia cognitione virtuali totum ut est universale con-  
tentivum multorum non cognosci, nisi prius confusè cognitione  
actuali*

actuali apprehendatur ut quoddam diffinibile, indubitatum est. Postquam enim intellectus naturam, e. g. animalis cognovit, ut diffinibilem, tum demum apprehendit confusè ipsum dic de multis & esse in multis, quamvis quomodo species contineat, & quib' differentijs species cōstituatur nondum distinctè videat. Cum itaq; cognitio actualis precedat virtuales, de Actuali quæstio est quodnam in ista cognitione sit primo cognitum.

s. 8. Dicimus 1. *In via auscultativa primò cognitum cognitione distincta Ens est, & universaliora prius sunt cognoscenda minus universalibus.* Hoc est præceptum Artis, via enim auscultativa artificialis est. De confusa hïc præcepta non damus, hæc enim naturalis est. Ratio positionis.

1. *Id unde facilius discimus, est cognitionis distinctæ principum in via auscultativa.*

*Universaliora sunt id unde facilius discimus. E.*

*Universaliora sunt cognitionis distinctæ principium in via auscultativa.*

Minor probatur, quia universaliora sunt tota in minus universalib'. Hinc etsi illa sunt difficiliora nobis, sunt tamè faciliora naturâ, ita comparata, ut ea si teneas, inferiora cognoscas facillimè.

2. *Nihil comprehendens multos conceptus, distinctè potest intelligi absq; distincta cognitione singulorum conceptuum.*

*Species infima comprehendit multos conceptus.* Est enim in homine E. gr. conceptus animalis, corporis & omnium superiorum. E.

*Species infima nō potest distinctè intelligi absq; distincta cognitione suorum conceptuum.* Et consequenter quò quid minus conceptuum habet, hoc prius in notitia distinctâ cognoscitur. Quamdiu enim superiores conceptus non cognoscis, nec inferiorem speciem distinctè cognoscis, quia nondum omnes partes definitionis distinctè cognoscis. Genus enim cum de essentia speciei, species nō potest perfectè cogosci absq; cognitione generis.

*Obj.* Physica nata fuit antequam auditum nomen. *Metaphysicæ.* E. datur cognitio distincta inferioris, absq; cognitio-

gnitio e distincta objecti universalioris. Respond. Cognitio dici potest distincta vel completè & totaliter; vel partialiter & incompletè. Itaq; Physicus ut Physicus cognoscit quidem distinctè hominem, sed non completè: Cognoscit siquidem definitionem hominis, animalis, corporis naturalis; sed non Principij, Substantiæ, Ertis. Ideoq; non nego, posse Doctorem inchoare ab inferioribus Disciplinis; sed cognitionem completè distinctam absq; superiori gignere posse, id est, quod inficior.

§. 9. Dicimus 2. *In via inquisitiva cognitionis distincta incompletè, ordo est arbitrarius.* Quia ad cognitionem incompletè distinctam sufficit inferiorum & superiorum confusa cognitio, quæ naturalis est. Incipere igitur potest Doctor inquirendo scientiam & definitionem rei vel à superioribus vel ab inferioribus. Hinc duo definiendi media; Divisio & collectio. Confer Logicam Præceptoris nostri Danhaweri part. 2. c. 6. p. 180. *In via autem inquisitiva cognitionis perfectè distincta, primum cognitum Ens est;* quia cognitio completè distincta inferioris absq; distincta cognitione superioris haberi nequit, ut patet ex ijs quæ dicta sunt in positione prima.

§. 10. Dicimus 3. *In cognitione confusa, originali primum cognitum est vel Ens, vel species infima, vel genus intermedium, idq; primum sub conditionibus individuificantibus; postea in abstractione.* Piores positiones fuere de via artificiali, unde Philosophus incipere debeat, tum inveniendis scientiis, tum docendo inventas: Nunc agendum de via cognoscendi naturali, quæ sc. fit natura intellectus in intelligendi ordine, cum naturaliter intelligere incipit. Intellectus enim cum potentialis fit in actum deducitur, non simul omnia intelligendo, sed ordine quodam, dum infantibus res quæ à sensibus intellectui offeruntur ordinatim apprehendere incipimus, quas prius non cognovimus, licet illum intelligendi ordinem in pueritia non animadvertamus. Atqui hoc respectu Physica hæc potius quæstio est, quam Metaphysica. Quia tamen in hoc puncto cardo controversiæ vertitur quæ est inter Scotum & Thomam; omninò erit explicanda. **Primum membrum positionis nostræ est; Primum cognitum,** quod

quodcunq; id sit, sive ens, sive species infima, sive genuiter-  
medium; cognosci primum sub conditionibus individuiscentibus, e.  
non abstrahendo universalem definitionem, sed quatenus est g.  
hoc ens, hoc animal, hic homo. Ita docemus contra Thomam  
Javellum 7. Meth. quæst. 16. qui volunt prius intelligi universale  
quam singulare; objectum oblato phantasmate primum intell.  
gere universale, tanquam objectum proprium; deinde reflectendo  
ad phantasma animadvertere, illud esse productum à re singula-  
ri, & ita secundario cognoscere etiam singulare. Argumentum  
Javelli præcipuum hoc est:

*Nulla species sensibilis actuat & perficit intellectum potentialem,*  
alias non opus esset intellectu agente, qui spe-  
ciem sensibilem in phantasmate præparet ut sit ob-  
jectum debitum intellectus patientis.

*Omne representativum rei singularis est species sensibilis. E.*  
*Nullum representativum rei singularis potentialem intelle-*  
*ctum actuat & perficit, adeoq; ipsum representatum*  
*seu singulare non potest esse primum ab intellectu*  
*cognitum.*

Verum præpollent argumenta contraria, quorum 1. Universale  
non cognoscitur nisi per abstractionem à singulari: E. Prius co-  
gnoscitur singulare, id sc. à quo fit abstractio. 2. à faciliori ap-  
prehensibilitate. Singularis rei intellectio est facilis, quippe  
fit per solam motionem à sensu & phantasmate factam; univer-  
sale autem non cognoscitur nisi ope intellectus agentis, phan-  
tasma illustrantis, proinde difficilius cognoscitur. 3. ex ordine  
facultatum animæ. Ubi enim desinit inferior ibi incipit supe-  
rior, ita ut superior cognoscat primum id ipsum quod inferior,  
& postea etiam aliquid aliud. Sensus itaq; cum desinunt in singu-  
lari præsentis, phantasia incipit ab imaginatione singularis præ-  
sentis, cognoscens insuper singulare absens, sed cum condi-  
tionibus individuiscentibus; intellectus igitur hic incipit co-  
gnoscens & singulare præsens & absens, primum sub conditio-  
nibus individuiscentibus, postea insuper in abstractione, formiando  
Entia universalis. Ad argumentum Javelli respondemus negan-  
do majorem, quia etiam species sensibiles actuant intellectum; in-



telles autem agente opus est non ad cognoscendum singulari sed propter abstractionem universalis. Vide sis Zabar. *de arte intelligendi, c. 5.*

Membrum alterum nostrae positionis est: *Primum ab intellectu in singularibus cognitum & a mente abstractum non esse certum quod, sed esse nunc Ens, nunc speciem ultimam, nunc genus intermedium.* Ita statuimus & contra Scotum & Thomam & quotquot Thomam sequuntur. Sententia Scoti. 1. *Sentent. distinct. c. 3. q. 2. minus universale seu species ultima semper est primum ab intellectu cognitum cognitione confusa.* Ubi hoc non vult Scotus quod omnes species cognoscantur ante cognitionem generis; quia id nec in Adultis verum esse experientia nimis clare testatur; sed quod in duabus aut pluribus speciebus unius generis prius intellectu apprehendantur species, quam genus. Argumenta pro sententia Scoti.

1. *Omne agens naturale (non impeditum) producit effectum perfectissimum.*

*Objectum intelligibile (e. g. homo, in quo est conceptus corporis, animalis, hominis) movens intellectum, est agens naturale. E.*

*Objectum intelligibile movens intellectum producit effectum perfectissimum (conceptum sc. hominis sive infimae speciei, qui omnium est perfectissimus.)*

2. *Individuum cognoscitur prius specie; E. Species prius genere, quia individuo propinquior est species quam genus.*

3. *Definitum prius cognoscitur, quam partes Definitionis. E. Species prius genere.*

4. *Quodcumque facilius abstractioni, est etiam facilius cognitioni. quia universalium cognitio fit per abstractionem a singularibus.*

*Species infima sunt facilius abstractioni. separantur enim a singularibus per solam remotionem conditionum individuiificantium. In conceptu autem generis a singulari separantur & accidentia individuuantia, & natura speciei. Et sic ascendens magis magisque, mens separando, magis universalia animadvertit. E.*

*Species*

*Species infima sunt faciliore cognitioni: & consequenter primum cognoscuntur. Quæ enim faciliora sunt cognita, primo cognosci, omnes consentiunt.*

**Sententia Thomæ, in proximo 1. Physic. & in 1. part. Summ. 1. 85. Primum cognitum cognitione confusa semper est magis universale.** Potest id dupliciter accipi. 1. in rigore juxta Zab. de ordine intell. c. 14. in altera solutione ad 3. arg. Scoti. Ante speciei cognitionem cognita esse confuse omnia superiora genera, licet eorum aliqua nomine careant. Potest enim res cognosci confuse etiam si nomen ignoretur, ut videre est in infantibus; in ijs itidem qui muti & surdi sunt simul, qui confuse res mente concipiunt per accidentia sensilia non per rerum nomina. Quamvis itaque proximum genus Muli, Asini & Equi, nomine careat, juxta Zab. tamen semper notius est Equo, & Asino, & Mulo. 2. cum limitatione. Si maxime ignorantur quædam genera intermedia, semper tamen ante cognitionem speciei cognosci superiora genera si non omnia, saltem evidentiora. Neque enim ut in cognitione distincta, ita & in confusa necessarium est, à superioribus ad inferiora descendendo, cognosci omnia media. In cognitione enim distincta cum omnia superiora essentialiter prædicentur de inferioribus, distincta horum cognitio sine cognitione superiorum haberi nequit: sed id non necessarium est in cognitione confusa, cum confuse cognosci species possit, partibus essentialibus nondum cognitis. Hæc itaque sententia erit: cognitionem nostram confusam nunquam incipere à specie infima, semper à maxime universalibus. **Argum. pro Thomâ 1.** Omne totum cognoscitur prius quam partes, cognitione tam intellectuâli quam sensuali. Magis universale respectu minus universalis est totum quoddam. II. Cognitionis incipit ab imperfectioribus. Intellectus noster cum potentialis sit, à perfecta ignorantia, non transit ad perfectam scientiam nisi per media. Magis universalis sunt imperfectiora, quam minus universalis. Inferiores enim conceptus semper superaddunt aliquid conceptui superiori. Vide sis *Corn. Mart. Met. p. 49.* III. Ex quo componitur id quod primum est in principijs complexis, id etiam primum cognitum

gnitum est inter incompleta. Quomodo enim cognosces com-  
plexa, nondum cognitis incomplexis, ex quibus illa compo-  
nuntur. Atqui ex Ente compositum est primum principium  
complexum. Confer *Cornel. p. 50. IV. Quod Zabarella est l. d. 6. 12. re-*  
*torquentis argumentum 4. Scotistarū contra ipsos Scotistas ita:*  
*Quodecunq; facilioris abstractionis id etiam facilioris cogni-*  
*tionis. Atqui magis universalia sunt facilioris abstractionis quam*  
*minus universalia. Nam cum in specie infima aggregata sunt*  
*omnes istæ conditiones & differentia quæ in singulis super-*  
*rioribus, & aliæ præter eas; ut in homine omnes sunt conditiones*  
*& differentia quæ in animali, corpore, substantia, & præter illas*  
*aliæ: Ideo si animal ab homine abstrahere velimus, oportet ut*  
*conditiones hominis proprias relinquamus, reliquas commu-*  
*niores accipiamus. Quoniam igitur abstrahere est aliqua acci-*  
*pere, dimissis alijs, difficultas abstractionis non consistit in acci-*  
*piendo pauca, relinquendo plura; sed in accipiendo plura, re-*  
*linquendo pauca. Similitudine id illustrat tali: Si acervus ligno-*  
*rum proponatur, ex quo sint aliqua accipienda, & aliqua relin-*  
*quenda, certum est facilitatem auferendi consistere in paucita-*  
*te eorum quæ accipiuntur, non eorum quæ relinquuntur; nam*  
*facilius est pauca ligna auferre relinquendo multa, quam au-*  
*ferre multa, relinquendo pauca. Itaq; quod est simplicius, est*  
*quoq; facilioris abstractionis, quam id, quod majorem habet*  
*compositionem. Atqui genus est simplicius. E. facilioris est ab-*  
*stractionis quam species, quæ habet compositionem majorem.*  
*Vi Quicquid per convenientias cognoscitur, id facilius cognos-*  
*scitur eo, quod per differentias. Uniuersale per convenientias*  
*cognoscitur, E. facilius cognoscitur, eo quod per differentias*  
*cognoscitur, quæ est unaquæque species inferior. Major*  
*probatur: quia facilius convenientia cognoscitur quam diffe-*  
*rentia. Ego aliquando vidi piscem quendam, inquit Zabarella d.*  
*6. 12. quem putavi esse auratum piscem, tamen piscatores dixe-*  
*runt, non esse piscem auratum, sed aliam quandam speciem;*  
*ego igitur solam convenientiam illius spicis cum aurato ani-*  
*madverti, differentiam autem non animadverti: sic pueri con-*  
*venientiam Asini cum equo & mulo cognoscunt, sed non eorum*  
*diffe-*

differentias non discernunt. *Et t. 14.* Cum videmus animal hominem portare, vel currum trahere, communem quandam figuram conspicientes cognoscimus, necessarium esse ut sit vel equus, vel mulus, vel asinus, sed quodnam horum sit adhuc ignoramus: tunc igitur cognoscimus accidentia illius generis innominati (quibus scilicet conveniunt) propria vero illorum animalium accidentia (quibus differunt) non inspicimus. VI. Quaecumque fortius movent & sapius movent, etiam cognoscuntur prius. Magis universalia movent sapius, accidentia enim corporis sapius offeruntur sensui quam animalis, & animalis sapius quam hominis: cum hæc reperias in solo homine; ista in homine, leone, & equo; illa in animali, plantis, lapidibus. Magis universalia movent etiam fortius; accidentia enim magis universalium simpliciora sunt, & pauciores continent differentias. Potest namque facile quis cognoscere differentiam equi & plantæ, si maxime ignoret quomodo differat equus à mulo vel asino. At minus universalia continent omnes differentias superiorum. Qui enim cognoscit quomodo differat homo à brutis, cognoscat quoque; necesse est quomodo differat animal à planta. Atque; hinc cum actu contineant conceptus superiorum, majorem habent compositionem: & consequenter minus valide movent. Neque enim id validius agit, quod perfectius est, ut vult Scotus, sed id quod simplicius, quod majorem proportionem & convenientiam habet ad potentiam passivam. Simpliciora autem quæ sunt, majorem habent proportionem cum facultate recipientis, & facilius intellectu comprehenduntur, qui cum rudis sit & potentialis facilius unum cognoscit quam duo. *v. Zabar. d. l. 6. 12.* VII. Id illustrant exemplo animalis procul visi. Primum id cognoscitur ut corpus, mox propinquius factum ut animal, postea ut homo, ex quo Zabar. *l. d.* format argumentum ut ipse dicit efficacissimum & insolubile. Quo simul ostendit evidentiam argumenti præcedentis.

Id quod validius movet, prius movet.

Accidentia corporis validius movent, quam accidentia animalis & hominis. E.

Accidentia corporis prius movent.

C

Mino.

Minorem probat: Pluribus agentibus eodem oblato impedimento, si unum in actione non impediatur, impeditis reliquis, id validius agere evidens est. Accidentia autem corporis non impediuntur, impeditis in eodem objecto accidentibus animalis & hominis, per distantiam nimiam.

§. 12. Nos tamen his argutijs nequicquam moti statuimus non dari certum ordinem intelligendi in cognitione confusa: quod & ante nos observasse Zimaram & Achillinum video *apud Zabar. c. 10.* Ad hanc sententiam nos traxit ipsa veritatis merities experientia & ipsa natura intellectus. Intellectus enim pro diversitate objectorum & pro diverso modo considerandi sine ordine qui naturalis & perpetuus sit, erumpit in actum. In genere, ea citius cognoscuntur quæ sensibus sunt propiora; id est, quæ magis sunt sensilia. Si accidentia generis sunt magis sensilia, prius cognoscitur genus, sin speciei accidentia movent sensum magis, prius cognoscitur species. Proposita multitudine Entis, intellectus confuse cuncta lustrando, unum non magis quàm alterum; omnia concipit ut Entia: postmodum prout inclinatur ad collationem specierum, tum per convenientias tum per differentias abstrahit modò hoc modò illud. Si proponuntur intellectui species post species, intelligitur prius species; à qua si alia species non multum discreper, has duas species sub uno conceptu comprehendit, inde infans Equo prius viso & cognito, & malum ob convenientiam equum existimat & vocat: Si multum discrepant inter se species; species seorsim concipit, nondum concepto communi genere. Hinc citius cognoscitur homo, quam id quod homini & bruto commune; citius color quam qualitas & accidens; citius albedo & nigredo quam color; citius equus quam substantia. Contra, citius cognoscitur herba, genus, quam herbarum species: Citius piscis in genere, quam piscium species: quod adeo verum est, ut si piscem primò visum infans audeat nominari lupum, omnem piscem lupum nominabit. Causa est, quod inter species non multum quoad sensum discrepantes, citius moveat genus, quod istis speciebus commune, sive nominatum id sit sive innominatum: Et contra inter species quan-

quarum differentia & convenientia non nisi peritioribus occurrit, citius cognoscitur species quam genus. Inter adultos reperies, qui ignorant genus commune homini & brutis. Videbis contententes, hominem & pisces & aves non esse animalia, animalia dici non nisi quod quadrupeda.

§. 13. Ad opposita respondere argumenta non difficile est ei qui resolvit ea Logicè. Et quidem examinando sententiam Thomistarum, quomodocumq; accipiat, falsa est, ut exemplis adductis patet. Ad argumentum 1. respondemus: omne totum prius cognoscitur partibus; verum est, de toto essentiali, falsum de integrali & universalis. Ad 2. alius ordo naturæ est in generatione, alius intellectus in cognitione. Intellectus non attendit vel rei perfectionem vel imperfectionem; simplicitatem vel compositionem; sed rei evidentiam, quæ aliquando major in specie; aliquando major in genere. Quodcumq; autem primò intelligitur, hoc ipso quia confusum, imperfectum est. ad 3. Id probat prius cognosci Ens simpliciter; quam illud complexum ex Ente & non Ente compositum. Id quod verum est: nam intellectus apprehendit prius res simpliciter antequam componat. Si ulterius ex illo deduces, Ens esse primum cognitum inter incompleta; etiam non Ens primum cognitum est, quia illud principium complexum non minus ex non-Ente componitur quam ex Ente. ad 4. Distinguendum inter abstractionem realem & mentalem. Realis facilior fit per paucitatem eorum quæ assumit, & multitudinem eorum quæ relinquit; mentalis maxime confusa non item, quia hæc sive multa assumit sive multa relinquit, non assumit aut relinquit ea ut multa, sed ut unum conceptu confuso. Cognito quid album quid nigrum, non statim cognoscit intellectus, quid color, quid qualitas quid accidens, licet hæc omnia contineantur in albo & nigro. Intellectus itaq; ut antea dixi non attendit rei vel simplicitatem vel compositionem, sed cognitionis evidentiam. ad 5. Si facilitatem in cognoscendo parit, cognoscere per convenientiam, nec speciei facilitas cognitionis deneganda erit, quia non minus species e.g. homo per convenientias cognoscitur quam genus e, g. animal.

Verum convenientia alia est sensibus propinqua, alia à sensibus remota, non nisi oculis Eruditorum obvia. Hinc non semper convenientia facilius cognoscitur quam differentia. Facilius apprehendet infans differentiam piscis, quadrupedis, avis; quam eorundem convenientiam sub communi natura animalis. ad 6. Magis universale sapius quidem movet quam minus universale; sed non sapius movet & ab intellectu apprehenditur ut tale. Homine movente, sensum movet & animal & corpus, quia homo est animal & corpus; sed non illicò intellectum movet corpus abstractivè sub conceptu corporis distincto. Fortius autem movet modò genus, modò species, prout vel hæc vel illud evidentiora habet accidentia. ad 7. Simile de animali procul viso non quadrat, quia ibi intellectus superiora genera jam novit, quæ in cognitione originali demum discit. Ad argumentum in forma: Accidentia corporis validius movent, in cognitione habituali, si corporis, & animalis & hominis conceptus jam ante menti fuit impressus: Ergo & prius cognoscuntur in cognitione habituali. Quod nos quidem nunc largimur, cum non oppugnet præsentem positionem; quamvis nec id perpetuum sit, nec mirum, cum oppositum exemplum in peculiari duntaxat casu, corporis accidentia validius movere probet, non universaliter. In cognitione autem originali semper accidentia generis validius agere non efficacissimè, ut Zabarella dicebat, sed languidè satis probatur exemplo particulari in cognitione habituali.

§. 14. Ad Scotistarum argumentum 1. Si argumentum procederet, prius cognitum dicendum esset non tantum infima species, confusè cognita, sed & cognita distinctè, quia hic effectus adhuc est perfectior. Agens quidem naturale, quantum in se est, semper agit æquali perfectissimoq; modo, non tamen semper producit effectum perfectissimum: neq; enim patiens semper æquè præparatum. Ad 2. negamus id semper singulari proximum esse in cognitione, quod proximum in ordine categoriæ Logicæ. Quia in cognitionis ordine variatur modus intelligendi. Singulare prius cognoscitur, quia ceu sensibile directè movet intellectum,

Etum; universalia ope intellectus agentis per abstractionem de-  
 mum innotescunt; ubi ea facilius & citius apprehenduntur, quæ  
 clariora habent indicia. Præterea uti cognito hoc homine, pro-  
 ximum est cognosci hominem in abstractione; ita etiam cognito  
 hoc pisce ac illo, differentijs specificis nondum perceptis, proxi-  
 mum est cognosci piscem in abstractione. Ad 3. Omne definitum  
 prius cognoscitur confuse, quam partes definitionis, quod sc. sint  
 partes essentielles: id est, species prius cognoscitur confuse quam  
 distinctè. Non autem semper definitum seu species definienda  
 prius cognoscitur ijs quæ sunt partes definitionis, in sensu mate-  
 riali & diviso. Species ut totum confusum prius cognoscitur ge-  
 nere, prout genus est pars speciei essentialis; non semper quate-  
 nus est totum universale, ut exempla docent. Quarti solutionem  
 eodem cultro conficimus quo enodabamus quartum argumen-  
 tum Thomistarum.

§. 15. Ut concludamus dicimus. 4. cum Zabar. ex d. l. c. 13.  
*in cognitione confusa habituali si intellectus objecto externo absente,  
 solo phantasmate moveatur reservato in memoria, ordo nullus est; quia  
 intellectus quando & quo ordine vult nunc contemplatur natu-  
 ram animalis, nunc equi, modò de colore qui cogitat, paulò  
 post fertur ad reminiscentiã albedinis. Si autem fit ex oblatione ob-  
 jecti materialis externi, prius cognoscitur ming universale antea cognitũ;  
 tum quod ejus accidentia fortius moveant; tum quod tanquã natu-  
 rale secundum omnes suas vires agens, patiente rectè præpara-  
 to, omni impedimento remoto, effectũ producat perfectissimũ:  
 adeoq; homo sensibus oblatu, cognito jam ante confuse quid  
 sit homo, quid animal, quid corpus, non potest intellectum mo-  
 vere sub ratione animalis aut corporis, secluso conceptu spe-  
 cifico hominis: sed ut agens naturale & necessarium, intellectum  
 quantum in se perfectissimè movet gignens conceptum homi-  
 nis. Equidem non nego intellectum ibi fulminis instar per  
 prius cognita ferri, quod Corn. Mart. urget. p. 62. siquidem cum  
 conceptu rei minus universalis conjuncti sunt conceptus com-  
 muniore omnes; simul tamen profiteor, primò & principaliter  
 intellectum abstrahendo dirigi ad speciem, quæ antea cognita  
 fuit,*



fuit, infimam. *Dices* animal procul visum movet primum ut corpus, deinde ut animal, postea ut equus. Resp. nimia distantia impedit motionem agentis. Si autem distantia tanta est, ut movere objectum possit secundum omnes suos conceptus cognitos, semper principaliter movet intellectū secundum illum conceptum, qui minus communis est. Si autē distantia tanta, ut movere possit tantum secundum conceptus quosdam, exempl. gr. si moveri potest ut corpus, & ut animal, primum & principaliter semper movet ut animal.

§. 16. Ex spinosa planam tibi Lector in hac controversia reddidimus viam, quam terere si laboriosum est tritam; agrestem percucurrisse, agnosce fuisse laboriosius. Patet nunc aditus ad ipsius intentiorem contemplationem Entis, de quo nūc pronunciamus, etsi non est semper cognitū primum, in ordine intelligendi naturali, est tamen primum in latitudine cognoscibilium, id est, est generalissimū. *n* aliquid esto extendat se latius quam Ens, non tamen se latius extendit ut unum per se commune omnibus, ut & in præcedenti Disputatione monuimus.




Prin-



**P**rinzipium primum callens & cognita prima,  
Cognita perfecte scire secunda potest.  
Qui numerum primum transibunt atque secundum  
His nunquam tangi tertius ordo datur.  
*AsC* Tu Corfini postremos addere primis  
Perge gradus; dabitur Palladis arce frui.

Hisce felicem successum  
precor Literatissimo  
Dn. Respondenti

M. JOACH. LUTKEMANN  
Præses.



*Ad Præstantissimum & Doctissimum Dn. Respondentem  
Amicum Charissimum.*

**C**ordolium cuiusq; parit res perdita; culpa  
Hunc penes est ipsum, grata caduca nimis.  
Gratulor hinc *Corfine* Tibi quem vera voluptas  
Ducit, ubi nihil est, unde dolere queas.  
Nescit enim pia Musa sui liquisse colentem,  
Quam tuto deames, nullus eam rapiet.

f.  
NICOLAUS BULICHIVS  
*Wilstrîa-Holsatus.*

Quorſum CORFINI? cum Præſide pulpita rurfus  
Scandis, deq; novo prælia inire paras?  
Prælia miſcentem te bis videre Camænæ  
Gryphiacæ, en iterum Balthica Muſa' videt,  
Hiſce quid intendis? volitare per oravirorum  
Scilicet, & ferri nomen ad aſtracupis.  
Hic ſcopus eſt? opus eſt hoc omne, laborq; ,laborem  
Protinus hunc ſuffer, dignabrabeia feres.

*Ita Eruditiſſimo & Præſtan-  
tiſſimo Dn. Reſp. amico ſuo  
dilectiſſimo*

*gratulatur*

CHRISTOPH. MASCHOVIUS  
Gryphiswald.







ctum; universalia ope intellectus agentis per  
 mum; innotescunt; ubi ea facilius & citius app  
 clariora habent indicia. Præterea uti cognito  
 ximum est cognosci hominem in abstractione;  
 hoc pisce ac illo, differentijs specificis nondum  
 mum est cognosci piscem in abstractione. Ad  
 prius cognoscitur confusè quam partes definit  
 partes essentielles: id est, species prius cognoscit  
 distinctè. Non autem semper definitum seu s  
 prius cognoscitur ijs quæ sunt partes definitio  
 riali & diviso. Species ut totum confusum priu  
 nere, prout genus est pars speciei essentialis; n  
 nus est totum universale, ut exempla docent. C  
 eodem cultro conficimus quo enodabamus qu  
 tum Thomistarum.

§. 15. Ut concludamus dicimus. 4. cum  
*in cognitione confusa habituali si intellectus obiecto  
 solo phantasmate moveatur reservato in memoria, et  
 intellectus quando & quo ordine vult nunc cog  
 ram animalis, nunc equi, modò de colore qu  
 post fertur ad reminiscentiã albedinis. Si autem  
 jecti materiali externi, prius cognoscitur ming univer  
 tum quod ejus accidentia fortius moveant; tum  
 turale secundum omnes suas vires agens, patien  
 to, omni impedimento remoto, effectũ produ  
 adeoq; homo sensibus oblatu, cognito jam ar  
 fit homo, quid animal, quid corpus, non potest  
 vere sub ratione animalis aut corporis, secl  
 cifico hominis: sed ut agens naturale & necessa  
 quantum in se perfectissimè movet gignens co  
 nis. Equidem non nego intellectum ibi ful  
 prius cognita ferri, quod Corn. Mart. urget. p.  
 conceptu rei minus universalis conjuncti sunt  
 muniore omnes; simul tamen profiteor, prim  
 intellectum abstrahendo dirigi ad speciem, q*

C 3



Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 077

de  
 quæ  
 pro  
 nito  
 oxi  
 tum  
 sint  
 am  
 nda  
 ate  
 ge  
 ate  
 em  
 en  
 . 13.  
 te,  
 quia  
 titu  
 uld  
 ob  
 itũ;  
 na  
 ra  
 nũ:  
 quid  
 no  
 pe  
 um  
 mi  
 per  
 um  
 om  
 ter  
 nita  
 ait,